

NICOLAUS LEONICVS THOMAEVS
IOANNI BURGARINO S.D.



Flagitasti nuper à me, Burgarine charissime, & quidem vehementer, qui tuo iure id à me potius exigere debuisses, vt paraphrases meas, quas superioribus annis, dum hoc in gymnasio profiterer, Peripatetico more confeceram, alteram in Aristotelis commentariolum qui de animalium motione inscribitur: alteram in eiusdem philosophi libellum qui sub inscriptione de animalium incessu signatur, edere & in lucem proferre vellem. Ego vero & si antea istuc ipsum cum sponte mea, tum amicorum quorundam suasu facere cogitassem: quo minus adhuc id expedire potuerim, multa sanè mihi impedimento fuere. Et alioqui cum anno superiori commentarios meos in parua Aristotelis naturalia imprimendos curassem, qui iam exierunt, & in hominum manus versantur, inter quos ij duo libelli, & conuersi à me, & vtcunque explicati leguntur: ne eadem in re duplicem operam impenderem, illorum sanè editionem differre, vel eam merito etiam intermittere poteram. Verum quando tu id à me nunc maximopere expetis, omniq; ope cõtendis: tali mehercule tantoq; refragari desiderio haudquaquam æquũ esse duxi, cum præsertim ingenti philosophiæ flagrans amore, & veluti illius œstro concitus, adeo illi sis addictus, vt nihil sanè in præsentia illius studio præuertendum esse ducas: qui etiam omissis rebus omnibus quæcunque domi distinere te poterant, Patauium cupide concessisti, græcasq; insuper literas, quò tibi tractabiliora, & ad manum magis isthæc forent studia, feliciter sis auspiciatus: in quibus quantum breui profeceris, & quo sis progressus, ne id auribus tuis in præsentia dare videar, silentio præterire malo. Feci igitur quod me facere voluisti, commentariosque illos, qualescunque sunt, sub tua nuncupatione prodire curavi. Et quoniam tali in re tam ardens sanè studium non modo fouendum, sed omni etiam fauore prosequendũ esse duxi: ad illa quæ expostulasti, nonnulla etiam alia pro corollario addere decreui, naturales scilicet quæstiunculas quasdam Aristotelico more conscriptas: quas, dum paraphrases istas cõscriberem, à Peripateticorum lectione sanè recens, de eodem, vt aiunt, oleo & opera exarauit. Quibus etiam mechanicas Aristotelis quæstiones addidi: quas cum superioribus annis latinas fecissem, & vt peruiæ essent magis, breues quasdam illis annotatiunculas adiunxissem, credo quia tibi

merito debebantur, commentarijs ijs quos anno superiori edendos cura-
ui, iccirco non adieci. Ultimo præterea loco addidi Procli Lycij ex Plato-
nis Timæo, vbi de animorum generatione agitur, paucorum quidem ver-
borum, verum obscurissimorum explicationem, quam iuuenis adhuc dū
ex Lycio animi causa in Academiam mihi transire aliquantisper collibu-
isset, latinam feci, lectissimarum sanè rerum copia refertam, & in qua
vniuersa ferè Academicorum omnium recensentur decreta: decantato-
rumq; insuper Platonis numerorum, quos non immerito obscuros vocat

Cicero, vniuersa non incōmode explicatur ratio. Varium igitur hoc
munusculum nostrum, Burgarine humanissime, hilari accipias
vultu: quod si non aliud sanè tibi præstare poterit (nostra
enim exigua sunt omnia) meum certe erga te studi-
um, animiq; voluntatem ad omnia pa-
ratissimam tibi & alijs abunde
declarare poterit.

Vale.